

et domos singulas morti-fer circuibat. Quid igitur Mōyses? Occidite, inquit, agnum anniculum, et sanguine ejus linite januas.

R. Ipse est caput corporis Ecclesiæ: * Ut sit in omnibus ipse primatum tenens. **V.** Quia complacuit per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. — Ut sit.

Lectio v.

Quid ais, Mōyses? Sanguis ovis rationalem hominem liberare consuēvit? Valde, inquit; non eo quod sanguis est, sed quia Domini sanguinis per eum demonstratur exemplum. Nam sicut regnantium statuae, quæ sine causa sunt et sermone, nonnumquam ad se confugiētibus hominibus anima et ratione decoratis subvenire consueverunt, non quia sunt ære confectæ, sed quia retinent imaginem principalem: ita et sanguis ille, qui irrationalis fuit, animas habentes homines liberavit: non quia sanguis fuit, sed quia hujus sanguinis ostendebat adventum.

R. Cum essetis aliquando alienati, et inimici sensu in operibus malis: * Nunc reconciliavit vos Christus in corpore carnis suæ per mortem. **V.** Ut exhiberet vos sanctos et immaculatos, et irreprehensibiles coram ipso. — Nunc.

Lectio vij.

Angelus igitur ille statator cum linitos postes atque aditus pervideret, transiit gressus, et non est ausus intrare. Nunc ergo si viderit inimicus non postibus impositum sanguinem typi, sed fidelium ore lucentem sanguinem veritatis, Christi templi postibus dedicatum, multo magis se subtrahet. Si enim Angelus cessit exemplo, quanto magis terrebitur inimicus, si ipsam perspexerit veritatem?

R. Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus: quoniam occisus es, et redemisti nos Deo. * In sanguine tuo. **V.** Et fecisti nos Deo nostro regnum, et regnabimus super terram. — In sanguine. Gloria Patri. In.

In III. Nocturno.

Añā. Vos qui aliquando

eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi.

Añā. Habentes fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, accedamus in plenitudine fidei.

Añā. Vestitus erat veste aspersa sanguine, et vocabatur nomen ejus Verbum Dei.

V. Dealbaverunt stolas suas in sanguine Agni.

R. Ideo sunt ante thronum Dei.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. xix.

In illo tempore: Sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

Hom. xlv. et xlvij. in Matth.

Abique demonstrare adnuitur, novam hanc mortem fuisse. Siquidem in potestate morientis erat, ne priusquam ipse vellet et omnia implata essent, moreretur. Ideo dicebat: Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Sciens ergo omnia consummata,

ait: Sitio: etiam hoc verbo prophetiam implens. Tu autem astantium pravitatem intellige: nam licet innumeros habeamus inimicos, qui nos gravissime persecuti sint, cum tamen interimi eos videmus, flectimur misericordia: hi vero nihil moti, magis efferantur et irident, acetumque in sponsa porrigunt, ut bibat tamquam reus: nam propter hoc hyssopum additur, quo gustato mortuus est. Vides quam non perturbate, et quam potenter omnia transigentem.

R. Passus est Christus se ab iniquis comprehendere, et impias saevientium in se manus admisit: * Ut ejus sanguis pretium posset credentium fieri. **V.** Cohibuit in se potentiam deitatis, ut ad gloriam perveniret passionis. — Ut.

Lectio vij.

Cum omnia consummata essent, inclinato capite tradidit spiritum; hoc est, exspiravit. Atqui non post inclinatum caput exspiratur, sed post expirationem caput inclinatur: hic autem contra accidit: per

quod ostendit Evangelista eum esse omnium Dominum. Judæi autem carnalem devorantes et carnalem excolantes, tantum nefas ausi, de die consultant. Quoniam parasceve erat, ut non remaneret in cruce corporasabbato, rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura. Vides quanti sit veritas: per ea quæ illi faciunt, prophetia implentur: alia enim ex hoc manifestata est. Veniunt ergo milites, et aliorum fregérunt crura, non Christi; sed ad Judæorum gratiam conciliandam latus ejus lancea aperuerunt, et mortuo adhuc insultant. O pessimam voluntatem! O sceleratissimam! Noli tamen perturbari, dilectissime: quæ enim malo illi animo patrarent, veritati consentiebant; prophetia enim hinc impleta est, dicens: Vidébunt, in quem transfixerunt.

R. Invitatur ad paradisi divitias populus christianus: * Igneam enim illam rhomphæam, qua vitæ regio erat inclusa, sacer Christi sanguis exstinxit. **V.** Cunctis regeneratis ad amissam patriam pa-

tesfactus est reditus. — Igneam. **Gloria.** Patri Igneam.

Lectio ix.

Et continuo exivit sanguis et aqua. Non casu et simpliciter hi fontes scaturierunt, sed quoniam ex ambobus Ecclesia constituta est. Sciunt hoc initiati, per aquam regenerati, sanguine et carne nutriti. Hinc mysteria ortum habent, ut quoties ad admirandum calicem accedis, tamquam ab ipso latere hauriens accedas. Qui ipse Christi sanguis nostrarum animarum est salus, quo abluitur anima, ornatur et inflammatur. Hic mentem nostram igne reddit splendidiorem, hic auro clariorem animam facit. Hic sanguis effusus est, et coelum fecit nobis accessibile. Hic terrarum orbis est pretium, hoc Christus emit Ecclesiam, hoc eam omnem adornavit. Hujus sanguinis participes cum Angelis et Archangelis et supernis manent Virtutibus, ipsam regiam Christi stolam induti, et arma spiritalia gerentes. Sed nihil adhuc dixi, ipsum enim induti sunt regem. Te Deum.

AD LAUDES
et per Horas, Añæ.

1. Christum proposuit * Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.

Ps. Dominus regnavit. **cum reliquis.**

2. Jesus, ut sanctificaret * per suum sanguinem populum, extra portam passus est.

3. Sanguis Jesu Christi * Filii Dei emundat nos ab omni peccato.

4. Venit per aquam * et sanguinem Jesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua et sanguine.

5. Christus dilexit nos, * et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.

Capitulum. Hebr. ix.

Fratres: Tabernaculum et omnia vasa ministerii sanguine aspersit Moyses; et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur, et sine sanguinis effusione non fit remissio.

Hymnus.

O celse rerum Conditor, Salutis auctor omnium, Tu nos sacramento sanguine Omni repurgas crimine. Nos anguis ille callidus Antiquus hostis straverat:

Primum nitorem mentium

Caligo culpæ dempserat. Sacro tamen de corpore Summi valoris sanguinem

Fundis, Redemptor, affatim,

Omnemque labem diluis. **Repelle** quidquid improbum

Interna cordis inficit; In nos refunde, quæsumus Tui vigorem sanguinis.

Deo Patri sit gloria, Ejusque soli Filio, Cum Spiritu Paráclito, Nunc, et per omne sæculum. Amen.

V. Empti estis pretio magno. **R.** Sanguine Christi.

Ad Bened. Añæ. Christus non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.

Oratio.

Omnipotens sempiternè Deus, qui sanguine Filii tui placari et nos redimi voluisti: concede nobis, quæsumus, salutis nostræ pretium ita recollere; ut et nunc veniam, et in æternum gloriam consequi valeamus. Per Dominum.

AD TERTIAM.

Capit. Fratres : Tabernaculum. ut supra.**R. br.** Dealbaverunt stolas suas * In sanguine Agni. Dealbaverunt. **V.** Ideo sunt ante thronum Dei. In sanguine Agni. Glória Patri. Dealbaverunt.**V.** Empti estis pretio magno. **R.** Sanguine Christi.

AD SEXTAM.

Capitulum. Hebr. ix.**S**i sanguis hircorum et taurorum inquinatos sanctificat ad emundationem carnis : quanto magis sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi?**R. br.** Empti estis * Pretio magno. Empti. **V.** Sanguine Christi. Pretio. Glória Patri. Empti.**V.** Justificati in sanguine ipsius. **R.** Salvi erimus ab ira per ipsum.

AD NONAM.

Capitulum. Apoc. xij.**P**rojectus est accusator fratrum nostrorum, et ipsi vicērunt eum propter sanguinem Agni.**R. br.** Justificati * In sanguine ipsius. Justificati. **V.** Salvi erimus ab

ira per ipsum. In. Glória Patri. Justificati.

V. Christus lavit nos a peccatis nostris. **R.** In sanguine suo.

IN II. VESPERIS.

Añae de Laudibus, Psalmi ut in j. Vesp. de Comm. Apost. Capit. et Hymnus ut supra in j. Vesperis.

V. Christus lavit nos a peccatis nostris. **R.** In sanguine suo.**Ad Magnificat, Aña.** Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem caelestem, et testamenti novi mediatorum Jesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel.

DOMINICA III. JULII.

SS. Redemptoris

D. N. J. C.

Duplex ij. classis.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem Dominica.

DIE IX. JULII.

S. Mariæ V. titulo Refugium peccatorum.

Duplex ij. classis.

Omnia ut in Festis B. M. V. per annum.

DIE XXIV. JULII.

S. Candidæ

Virg. et Mart.

cujus Reliquia asservatur in hac Metrop. Ecclesia.

Duplex Mexici.

Omnia de Comm. Virg. et Mart., præter sequ.

Oratio. Deus, qui inter.

Inj. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In ij. Noct., Lect. Nunc nobis, de Comm. ij. loco.

In iij. Noct. Homil. Sæpe vos, de Comm. j. loco.

Lectio ix. Vigiliæ, ut in Propr. Ss. Hispan. et fit de ea Comm. ac S. Christianæ Virg. et Mart. in Laud. Si autem hoc Festum occurrerit in Dominica, fit de ea Lectio ix. ac Commem. et S. Christianæ in Laudibus.

DIE XXVII. JULII.

S. Pantaleonis

Martyris. Semiduplex. Omnia ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

DIE XXX. JULII.

S. Christophori

Mart. Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart., præter sequentia.

Oratio. Præsta quæsumus... ut qui.

Inj. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In ij. Noct. Lect. Triumphalis. de Comm. j. loco.

In iij. Nocturno, Homil. Quia Dominus ac Redemptor. de Comm. ij. loco.

DIE II. AUGUSTI.

B. Mariæ Virg. sub Angelorum titulo.

Duplex ij. classis.

Omnia ut in Festis B. M. V. præter sequ.

INUTRISQUE VESPERIS

V. Ave Maria, grátia plena. **R.** Dñs tecum.**Ad Magnif. Aña.** O beata Virgo Maria! tu veniæ vena, tu grátia Mater, tu spes mundi, exaudi filios tuos clamantes ad te.

Oratio.

Deus, qui humano generi beátæ Mariæ virginitate foecunda reparatiõnis grátiam contulisti : concède; ut quam grátia Matrem appellamus interris, ejus feliciconsortio perenniter perfruamur in cœlis. Per Dñm.

Inj. Nocturno, Lectiones ut in Festis B. M. V.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Thomæ Episcopi.

Conc. j. de An. Lect. ib.

DMirandam, omnique virtute præstantem Genitricem Dei Mariam pro mei

ingénii exiguitate toto ánimí desiderio laudare desiderans, nullum fere in sacris Litteris pótui reperire præconiúm, quod ad litteram ejus nobis glóriam, excellentiámque demónstret. Nam etsi de illa per prophétas plúrima mystice dicta, factaque passim legántur, unde possit virtútis ejus magnitúdo constare, in evangélicis tamen, aut apostólicis scriptis rarus de illa sermo, et multo rarior laus invenitur. Quamvis, ut verum fatear, non ita siléntio tradita sit, ut in eórum dictis virtútum ejus cláritas tenuíssimo rádio, véluti per quasdam verbórum rimulas, non niteat. Sed unde magis ejus glóriam, virtútes, dotésque ánimí potérimus auspiciári, quam ex illo mirífico ejus, et Angeli collóquio? in quo præter hoc, quod angélico elóquio grátia pleníssima et ómnium feminárum prima mérito prædicátur, ex gestis ejus et dictis multa nimis præconiórum ejus silva emicuit. **R.** Sicut.

Lectio v.

Ingressus Angelus ovánter, salutávit reverénter : Ave, inquit,

grátia plena, Dóminus tecum. Plena grátia, implénda Deitate, obumbránda virtúte; grátia plena, de cujus plenitúdine accipiunt univérsi, de cujus abundantia totus repléndus est orbis. Et vere plena, in cujus ánimó nullus peccáto relictus est locus, nullus iniquitáti páuit accessus. Dóminus tecum. Et quómodo tecum? non útique sicut mecum, sed sicut núllibi : tecum in corpore, tecum in mente, tecum in ánimó, tecum in consilio, tecum in útero, tecum in auxilio, tecum in ortu, tecum in éxitu, tecum in fine, tecum sine fine. **R.** Quæ est ista.

Lectio vij. Ex Conc. ij.

Cælesti ergo legatióne audita, sic fatur ad Angelum : Ecce ancilla Dómini : fiat mihi secundum verbum tuum. Grandi ergo mystério, altíssimóque Deitátis instinctu conceptúra Deum, sui méminit ancillátu, ut orientem a se Filium mundi obséquio mancipáret. Fiat mihi, ait, secundum verbum tuum, et ad verbum ejus statim in útero incarnátum est Verbum. O Fiat potenso,

Fiat éfficax, o Fiat super omne, Fiat perpétuo honóre venerándum! Hoc verbo Fiat, factus est mundus. Hoc verbo cælestia terréstrisque Altíssimus cóndidit, sed tale Fiat non sónuit in orbe, quale tu nunc beáta dixisti. Quid enim factum est? quis dicere potest quid factum est? Natúra stupet, júdicium hæret, hebéscit sensus, lingua mutéscit, rátió déficit, intellectus non capit quod factum est in María, cum hoc prótulit verbum: Fiat mihi secundum verbum tuum. **R.** Ornátam.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. j.

In illo tempore : Missus est Angelus Gábríel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Náza-reth, ad Virginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis María. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Serm. cxcj. in Nativitate S. Joannis Bapt. iv.

Angelus vero idem ipse ad Mariam Virginem : Ave,

inquit, grátia plena, Dóminus tecum; jam tecum est, qui erit in te. Dic mihi ergo, nuntie Dei, quómodo fiet istud? Vide Angelum sciéntem, illam quæréntem, non diffidéntem. Audi quómodo : erit virginitas tua, tu tantum crede veritatem, serva virginitatem, accipe integritatem. Quóniam íntegra est fides tua, íntácta erit íntegritas tua. Dénique audi, quómodo fiet istud. Spiritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi, quia fide concipis, quia credéndo in útero, non concubándo habébis: propterea quod nascétur de te Sanctum vocábitur Filius Dei. Quid est, quæ póstea parítura es? Unde meruisti? Unde hoc accepisti? Unde fiet in te, qui fecit te? Unde, inquam, tibi hoc tantum bonum? Virgo es, Sancta es, votum vovisti; sed multum, quod meruisti, imo vero multum, quod accepisti.

R. Sub tuum præsidium confúgimus, clementíssima Virgo, súscipe nos, única spes nostra; et nostris delectáre láudibus, * Quibus indigni omni te

laude dignissimam collaudamus. *N.* Aufer a nobis iniquitates nostras, ut digni canamus tibi gloriæ melos. — Quibus.

Lectio viij.

NAM, unde hoc meruisti? Fit in te, qui fecit te; fit in te per quem facta es, imo vero per quem factum est cœlum et terra, per quem facta sunt omnia; fit in te Verbum Dei caro, accipiēdo carnem, non amittēdo Divinitatem. Et Verbum jungitur carni, et Verbum copulatur carni, et hujus tanti conjugii thalamus uterus tuus, et hujus, inquam, tanti conjugii, id est Verbi et carnis, thalamus uterus tuus, unde ipse Sponsus procedit de thalamo suo. Invenit te virginem conceptus; dimittit virginem natus. Dat fecunditatem, non tollit integritatem, Unde tibi hoc? Protërve virginem videor interrogare, et quasi importune aures verecundas ista mea voce pulsare. Sed video virginem verecundantem, et tamen respondentem, meque admonentem. Quæris a me, unde mihi hoc? verecundor tibi respondere bonum meum.

Angeli audi ipsius salutationem, et in me agnosce tuam salutem. Crede cui credidi. Unde mihi hoc quæris? Angelus respondeat. Dic mihi, Angele, unde Mariæ hoc? Jam dixi cum salutavi: Ave grátia plena.

R. Porta cœli, et stella maris es, Virgo Mariæ, Regis æterni Mater, gratos nos redde Filio tuo:

* Quia omnis virtus, et decor, et glória ex te resplendet. *N.* Tu vénia vena, tu grátia Mater, tu spes mundi, exaudi nos clamantes ad te. — Quia.

Lectio ix.

Serm. ccxc. de Sanctis in Nat. S. Joan. Bapt. iv.

MARIA vero quando e contra ait: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? inquirendo dixit, non desperando. Dum interrogavit, non de promissione dubitavit. O vere grátia plena: sic est enim ab Angelo salutata: Ave grátia plena. Quis hanc explicet grátiam? Quis huic grátia grátias agendo sufficiat? Fit homo, et per liberum arbitrium perit homo, et invenitur homo factus, qui fecit,

ne periret, quem fecit. In principio Verbum Deus apud Deum, per quod omnia facta sunt, fit caro: Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Caro fit Verbum, sed caro accedit ad Verbum, non perit in carne Verbum. O grátia! ut hoc haberemus, quid digni eramus?

Te Deum.

DIE VI. AUGUSTI.
Transfiguratio Domini.

Duplex majus.

Omnia ut in Breviario Romano; sed in Angelopolitana Ecclesia omittitur ix. Lectio de S. Xysto et ejus loco dicitur: Tu vero Matthæi. *ibid.*

DIE XIII. AUGUSTI.
Ss. Martyrum Hippolyti et Cassiani,
Patronorum hujus civit. Mexicanæ.

Duplex j. class. cum Oct. In toto Archiepiscopatu. Omnia de Comm. plur. Mart., præter sequentia. Oratio propr. ut in Brev. In j. Noct. Lect. Fratres, Debitores. de Comuni.

In ij. Nocturno, Lect. iv. ut in Brev. Lectio v. Quotiescunque. et vj. Sed nos volumus. de Comm. j. loco.

In iij. Nocturno, Homil. in Evang. Cum audieritis prælia. de Comm. j. loco.

EADEM DIE.

S. Xysti

Papæ et Mart.

cujus Reliquia asservatur in Cathed. Angelopoli. Duplex. Angelopoli. Omnia de Comm. unius Mart., præter sequentia. Oratio. Infirmiorem.

In j. Nocturno, Lektionen de Scriptura occurr.

In ij. Noct. Lectio iv. Xystus secundus. ut in Breviario die VI. Aug. Lect. v. Triumphalis. et vj. Coronata. de Comuni j. loco.

In iij. Nocturno, Homil. Si consideremus. de Comuni j. loco.

DIE XVII. AUGUSTI.
B. Bartholomæi Laurel

Martyris. Duplex. Omnia de Comm. unius Mart. præter sequentia.

Oratio.

FAC nos, quæsumus Dómine, beati Bartholomæi Martyris tui ita

méríta gloriósa recólere; ut, ad exémpla ejus, humilitáte tibi et fidei constantia placeámus. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectio-
nes de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Llústrés inter có-
rónas beatórum
Mártyrum qui ex
váriis géntibus pro Chri-
sto in Japónia sunt passi,
unam sibi, in Bartholo-
mæo Laurel, mexicána
quoque Ecclésia lætátur.
Hic in diocési Angelo-
politána húmili loco na-
tus, post pueritiam inte-
gre piéque actam, se to-
tum obtulit Deo in familia
franciscáli vétëris obser-
vántiæ, in qua tirocinio
religiosissime pósito, Mo-
relíæ solémnia vota édi-
dit, atque múnis laicó-
rum, quos vocant, pró-
priis addictus est. Némini
autem, neque provéctis
ætáte, vel orándi stúdio
vel obediéntia vel córpo-
ris castigatióne cedébat :
sed hoc prætërea est vir-
tútis ejus testimónium
insigne, quod vir ille apo-
stólicus, Franciscus a
Sancta María ejúsdem
órdinis, ipsum de multis,
juvámén ádeo sibi delé-

gerit labórum in Philip-
pinis insulis consórtem,
quem consórtem æque
hábuit martyrii. Primo
igitur Manliæ munus per
quadriénnum egit mini-
strándi ægrótis in valetu-
dinário, egítque summa
humilitáte et caritáte per-
inde ac si Jesum in eis
cóleret. Ex eódem múnere,
præter multiplicem
religiósæ perfectiónis
proféctum, étiam usum
didicit linguæ japonicæ
et medicínæ, quæ præsi-
dia ad salútem hóminum
sempitérnam, providéntis
Dei consilio, póstea con-
véteret.

℟. Honéstum.

Lectio v.

INde, quod cupidissime
optáverat, Franciscum
patrem in Japóniam se-
cútus est, ubi vitam cum
eo traxit labórum juxta
et periculórum plenam.
Ipsi enim pro tempóribus
rebúsq; fidélium, modo
per urbes et pagos caute
versabántur, modo in so-
litudinibus, in móntibus,
in spelúncis, apostólicó
more errábant, semper
Deo físi ejúsq; voluntáti
máxime adhæréntes.
Præcédere Bartholo-
mæus cum sarcina sacre
supelléctilis et cópia me-

dica mentórum solébat,
tamquam minister et ex-
plorátor : nimirum, qua
valébat in morbos arte,
et qua largitáte idónea
remédia afferébat, tugú-
ria páuperum atque haud
raro ipsas divitum domus
fácile ac tuto adire pót-
erat. Ibi autem ut sibi
magnópere cordi erat
morbis eo miserióribus
medéri animórum, mi-
rum qua sollértia occa-
sióne ejus rei captábat,
et quam apte hómines
amantérque doctrína
christiana instrúere, de
præcéptis commonére,
deterrére a vitio, ad vir-
tútem et ad sacraménta
curábat addúcere. Tum
vero magistri succedébat
ópera, qui velut in mol-
lito agro, sémina sanctæ
fidei in illis colébat : unde
copiósa et vere lætábilis
Christo Dómino seges,
Bartholomæo adjutóre,
provénit.

℟. Desidérium.

Lectio vj.

EO modo vir Dei an-
num jam quartum
elaborábat impense : ecce
autem in ipsa hóspitum
domo dilécto cum magi-
stro secúrum satéllites
Præfécti improvísó de-
prehéndunt, ambósq;

et hóspites Vomúram rá-
piunt in vincula. Per lon-
gum et áspërum iter sum-
ma ipsórum erat lætitia,
se Christi nomen cruciá-
tibus et morte posse te-
stári : in cárcere porro
aerúmna omne genus et
pia gáudia cum áliquot
ejúsdem propósi frátri-
bus dulce fuit conjúnge-
re. Ad tres fere menses
acre certámen stetit; in
quo, Francisco ut ómnium
patre suavissime cohór-
tante et commúni nómine
júdici respondénte, per-
severavére invicti omnes.
Quare damnántur cápí-
tis, pars ferro, pars igne.
Ipse supplicii locus, Nan-
gasáchii, ubi tot ántea
mártyres passi, púgilum
fidem virésque auget. In-
térrito ánimo, hilari vul-
tu, effúsis ad Jesum pré-
cibus et láudibus, suam
quisque mortem oppetié-
runt; ii acerbióre póena
qui lento igni perémpiti.
In his, cum Francisco
aliisque tribus, de propa-
gata religióne ámplius
méritis, ipse Bartholo-
mæus, qui máxima ad ex-
trémum spiritum firmitú-
dine Christum conféssus,
ad optátam martyrii pal-
mam felicissime evolávit,
décimo sexto Kaléndas

Septembres anno millésimo sexcentésimo vicésimo séptimo. Eum Pius nonus Póntifex máximus anno millésimo octingentésimo sexagésimo séptimo cum præclára Japonensium Mátyrum legióné in album Coelítum Beatórum recensuit: ejúsque Offícium et Missam própriam, Ecclésiæ mexicánæ peténti Leo décimus tértius concessit.

R. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. x. d

IN illo témpore : Dixit Jesus discipulis suis : Nolite arbitrári quia pacem vénerim mittere in terram : non veni pacem mittere, sed gládium. Et reliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. j. in Matth. cap. x.

Supra dixerat : Quod dico vobis in ténebris, dicite in lúmine : et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Nunc infert quid post prædicatióem sequátur. Ad fidem Christi totus orbis contra se divisus est : unaquæque domus et infidéles et cre-

déntes hábit, et propterea bellum missum est bonum, ut rumperétur pax mala. Tale quid et in Génesi advérsus rebelles hómines, qui moti fúerant de Oriénte, et turrem extrúere festinábant, per quam cœli alta penetrárent, fecísse scribitur Deus, ut divideret linguas eórum.

R. Coróna.

Lectio viij.

Veni enim separáre hóminem advérsus patrem suum. Hic locus prope iisdem verbis in Michæa prophéta scribitur. Et notándum, ubi cúmque de véteri testaménto testimónium pónitur, utrum sensus tantum an sermo conséntiat. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Qui ante præmiserat : Non veni pacem mittere, sed gládium, et dividere hómines advérsus patrem, et matrem, nurum et socrum; ne quis pietátem religióni anteférret, subjecit dicens : Qui amat patrem aut matrem plus quam me. Et in Cántico légimus canticórum : Ordinávit in me caritátem. Hic ordo in omni afféctu

necessárius est : ama post Deum patrem, ama matrem, ama filios.

R. Hic est.

Lectio ix.

Ordo pulchérissimus : ad prædicatióem mittit, docet pericula non timénda, afféctum súbjicit religióni. Aurum supra túlerat, aes de zona excússerat. Dura Evangelistárum conditio. Unde ergo sumptus, unde victus necessaria? Austeritátem mandatórum spe témperat promissórum : Qui récipit, inquit, vos, me récipit : et qui me récipit, récipit eum qui me misit : ut in suscipiéndis Apóstolis unusquisque credéntium Christum se suscepisse arbitrétur.

Te Deum laudámus.

DIE XIX. AUGUSTI.

S. Alphonsi Mariæ de Ligorio.

Episc. Conf. et Eccles.

Doct. Duplex.

Omnia ut in Breviario die ij. Aug. præter sequ.

AD VESPERAS.

Si Hymnus proprius dici nequeat in j. Vesperis, tunc hic Hymnus dicitur ad Matutinum, Hymnus Matutini ad Laudes, ac Hymnus Laudum ad ij.

Vesperas; si vero ij. Vesperæ non sint de hoc Festo, tunc Hymnus Vesperarum conjungitur cum Hymno matutini sub unica conclusione.

Hymnus.

EN qui benigne néxibus

Solvit revinctos criminum,

Cœlique callem déviis
En qui retéxit sédulus.

Oh quot labóres pertulit,
Æstúsque mentis ásperos,

Ex ore prompte dæmonis
Eos ut atro tólleret!

Pagos, et urbes pérmeat,
Plagásque cultas rústicis,

Ibique Christi dógmata
Ardóre multo séminat.

Et ut docére díssitos,
Omnésque possit pósteros,

Edit libos múltiples
Cunctis fútuos sæculis.

Æterna Patri glória,
Ejúsque soli Filio,

Tibique, Sancte Spíritus,
Sit in perénni témpore.

Amen.

AD MATUTINUM.

Hymnus.

DUM corda plebis cómmovet,

Eámque belle próvocat
Alphónsus, ut fidúciam

In Matre ponat Núminis:
Monstrum novum, mirá-

bile
Stupóre plena cónspicit,

Imménsa quod suspíria,
Dulcésque guttas éxcitat.
Imágo namque Virgínis
Se luce vóstít prótinus,
Jubárque vibrat, quod
pium

Loquéntis os illúminat.
Probávit hoc miráculo
Regína coeli præpotens
Verum fuisse, férvido
Quod fudit ipse pectora.

Ætérna Patri glória,
Ejúsque soli Filio,
Tibique, sancte Spiritus,
Sit in perénni témpore.
Amen.

AD LAUDES.

Hymnus.

Alphónse, curnam
júscula

Herbis amáris íncis?
Corpus tuum duríssimo
Quare flagélló pèrcutis?

Rerum premens angústia,
Frigus, calor, jejúnium,
Sitis, labórque pèrvigil
Submisit illud áffatim.

Intácta sint, hoc éfficis,
Ut castitátis lília
Tuæ, cibúmque divítem
Virtútibus des céteris.

Sic in tumúltu sæculi
Vita fruéntes áccolæ
Possunt erémi cónsequi
Gressus tuos Antistites.

Ætérna Patri glória,
Ejúsque soli Filio,
Tibique, sancte Spiritus,
Sit in perénni témpore.
Amen.

EADEM DIE.
**B. Petri de Zuniga
et Ludovici Flores**

Martyrum. Duplex.
Omnia de Comm. plur.
Mart., præter sequentia.

Oratio.

Domine Jesu Christe,
qui nomen tuum
fidéliter prædicántibus
fortitúdinem confers et
corónam : da nobis, quæ-
sumus, méritis beatórum
Máryrum Petri et Ludovici;
fortes in fide consistere
et bonis opéribus glóriam
ássequi sempitérnam :
Qui vivis.

**Inj. Nocturno, Lectiones
de Scriptura occurrente.**

In II. Nocturno.

Lectio 1a.

Etruse nobilíssima
gente De Zúniga,
Hispalénsis, cu-
jus pater, Alvárus, pro-
vinciæ mexicánæ viceré-
gia præfuit, ad omnem
humanitátem in primis
que ad pietátem óptime
succrévit. Honoribus et
vitæ blandiméntis mature
despéctis in órđinem se
recépít Eremitárum san-
cti Augustíni in quo san-
ctimóniæ et doctrinis ala-
crióre ópera ánimus in-
téndit. Sacerdótio auctus,
caritátem qua ferebátur

in próximos cœpit statim
effúndere : sed ampliór-
em et laboriosiórem ex-
petens campum, per ma-
gnas difficultátes tandem
obtinuit ut ad Philippínas
insulas mitterétur quo in
itinere cónstitit aliquám-
diu in urbe México, valde
sibi conjúcta, ubicivium
admiratiónem in se con-
vertit. Maniliæ annos fe-
re octo apostólico stúdio
versátus est, et multa in
animórum salútem per ea
loca effécit : accépto au-
tem núntio de insigni so-
dálíum apud Japónes
martyrio, ad eam expedi-
tiónem mirífice exársit.
Ibi se totum pro christiá-
nis frátribus impéndit; et,
quamquam inde post an-
num ex obediéntia recés-
serat, Japónum causam
ácrius oráre perréxit, ad
quod, enixe revocántes,
gaudens pótuit remeáre,
martyrii percúpidus.

℟. Sancti tui.

Lectio 2a.

Ludovicus Flores, in
Bélgio natus pién-
tissiméque institútus, pa-
trem, mercatúram facién-
tem, in Hispániam et us-
que Méxicum est secútus.
Qua in urbe ad cœlestia
quærénda veheméntius a
Deo permótus, cadúcam

spem omnem álacer præ-
cidit, atque Ordini Præ-
dicatórum nomen dedit.
Erat in eo præclára in-
doles, integérrima disci-
plínæ custódia, summum
doctrínæ et virtútis stú-
dium; quo factum, ut
omnem dese expectatió-
nem in váriis deinceps
obeúndis munéribus su-
perárit. In Philippínis in-
sulis virtus et ardor ejus
præstitit máxime; quippe
qui Novæ Segóriæ gen-
tem imménsis labóribus
Christo mansuefécerit, ac
pérditos hómines, quorum
noxas acérrime in se vin-
dicábat, complures ad
ipsum redúxerit. Inde ve-
ro conjunctiórem cum
Deo vitam in cœnóbio
Maniliæ repétiit; ubi et
rogitántibus multis salu-
tária impertiébat consi-
lia, et sodálibus sancto
exémpló prælucébat. Ge-
mémenté interim ecclésia
Japonénsi et operários
postulánte qui martyrio
cæsis succéderent, ipse
ingravescéntem ætátem,
ténuem valetúdinem, con-
templatiónis quiétem,
ómnia posthábuit, atque
tam árduum opus magnis
précibus impetrávit ma-
gnóque ánimo est aggrés-
sus. **℟. Vérbera.**

Lectio vj.

Petrus igitur et Ludovicus in Japoniam tendebant, navarcho Joachimo Diaz, christiano homine Japonensi. Jamque ex asperrima tempestate ad Formosam evaserant, quum in Batavos piratas haereticos incidere: a quibus, de ipsorum professione suspicantibus, multis modis pessime habiti sunt, tum ad regulam in Firandeno portu atque ad imperatorem delati. Diuturnam teterrimamque custodiam singulari patientia tolerare, quod allata est sententia, ambos cum Joachimo igni necandos, ac duodecim simul comprehensos vectores, eadem Christi causa, capite plectendos. Constantia sanctorum hominum nequidquam tentata, Nangasachium crudeliter compelluntur, Petro et Ludovico beatum agmen ducentibus. Ibi cervices illi gladio fortiter subjecerunt, hi vero et socius ad palos sunt alligati, idque funiculo tenui, quo facilius, ardore torquente, a proposito resillirent. At ipsi in horas duas perant immoti Christum

Deum tum ad populum praedicantes, tum psalmis hymnisque laudantes; usque dum, amissis sensibus in genua procumbunt, vultu in modum orantium ad caelum converso. Animae efflavere victrices decimo quarto Kalendas Septembres, anno millesimo sexcentesimo vicesimo altero. Corpora eoloci eoque statu quadrimum mirabiliter permanserunt; ad tumulum ingens e caelo splendor et suavissimus odor diffusus. Nomina Petri et Ludovici in numero sunt ducentorum quinque Martyrum Japonensium, quibus Pius nonus Pontifex maximus beatorum Coelitum honores decrevit: eorumdem Officium proprium et Missam Leo decimus tertius Ecclesiae Mexicanae petenti benigne concessit.

R. Tamquam aurum.

In iij. Nocturno, Homilia. Advérte omnia, de eodem **Comm. ij. loco.**

DIE XX. AUGUSTI.

In Octava
SS. Mart. Hippolyti
et Casiani.
Duplex. Mexici.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Fulgentii Episcopi.

Lectio iv. Serm. x.

Eléctat videre campos segetum aureis maturatis calamis aristarum; delictabilius libet attendere campos Ecclesiae martyrum micantes, plantatos de uno cruore per Agni sanguinem innocentem. Segetes etenim sunt passionum martyrum, juxta cursus aquarum rigati fontibus lacrimarum. Nam sic modo beatus David martyrum purpurata germina, et ante messores gaudiorum tamquam manceps secantia messoria, cithara decantabat: Qui seminant, inquit, in lacrimis, in gaudio metent. Ubi seminant in lacrimis, nisi juxta arborem crucis, ubi est fons proximus Salvatoris?

R. Sancti tui.

Lectio v.

Inde de latere ejus sanguinis guttae stillarunt, et pluvia cruoris et aquae seminata est tolerantia confessorum. De ipso libro virentis crucis juxta fontem sanguinis

plantata virginitas floruit castitatis: inde plantata martyrum tolerantia cepit seminis sui germina colligere purpurata. Nam unde martyres tolerant, nisi per Dominicam crucem? Unde martyres, in quorum cordibus lex Dei est, maledictiones non timent hominum, nisi quia Christus Dominus perpetuo patiens impetoria Judaeorum? Ista ergo seminatio sanguinis Christi fecit semina martyrum pullulare in campo matris Ecclesiae, ut dicit David: Qui seminant in lacrimis, in gaudio metent; euntes ibant, et flebant.

R. Verbera.

Lectio vj.

SIC perrexerunt, quomodo revertuntur? Non flentes, sed gaudentes: non adhuc seminantes, sed manipulos suos laeta cervice portantes. O germina, quae non urit flamma, quia juxta flumen sunt vitreum in Jerusalem, et perpetuo virescunt flore immortalitatis vitae aeternae! Nesciunt marcescere, quia non timuerunt pro justitia flammis ardere: quia Agnus deducet eos ad vitae fontes aquarum, et

delébit omnem lácrimam ab óculis eórum, et florébunt sicut lílium in médio Angelórum.

R. Tamquam aurum.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. xxj.

In illo témpore : Dixit Jesus discipulis suis : Cum audieritis proelia et seditiões, nolite terreri : opórtet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Et reliqua.

Homília sancti Augustini Episcopi.

Serm. xiv. Lib. 50. Homil.

Bominus noster Jesus Christus téstibus, id est, martyribus suis, pro humana fragilitate sollicitus, ne forte eum confitendo atque moriendo perirent, magnam securitatem dedit, dicens : Capillus de capite vestro non peribit. Times ergo ne pereas, cujus capillus non peribit? Si sic custodiuntur superflua tua, in quanta securitate est anima tua? Non perit capillus, qui cum tondetur, non sentis; et perit anima, per quam sentis? Sane multa dura eos passuros esse prædixit, ut prædicendo face-

ret paratióres, dicerentque illi : Paratum cor meum.

R. Propter.

Lectio viij.

Quid est, Paratum cor meum, nisi parata voluntas mea? Paratam ergo habent martyres voluntatem in martyrio, sed præparatur voluntas a Domino. Illis autem in malis duris atque ásperis futuris commémorans adjecit : In patientia vestra possidebitis animas vestras. In vestra patientia, inquit : non enim esset patientia tua, si non ibi esset et voluntas tua. In vestra patientia : sed unde vestra? Nostrum est, quod a nobis habetur : nostrum est, et quod nobis donatur.

R. Sancti mei.

Lectio ix.

Quomodo enim aliquid donas, nisi ut ejus sit cui donas? Aperta est enim illa confessio : Nonne Deo subjicietur anima mea? ab ipso enim est patientia mea. Dicit nobis ipse : In vestra patientia; dicamus illi et nos : Patientia mea ab ipso est. Tuum fecit donando : noli ingratus esse tibi assignando. Nonne

in oratione Dominica dicimus, et nostrum esse quod a Deo est? Quotidie dicimus, Panem nostrum quotidianum. Jam dixisti, Nostrum, et dicis, Da nobis : ecce nostrum, ecce da nobis. Illo dante fit nostrum.

Te Deum laudamus.

DIE XXX. AUGUSTI.
S. Rosæ a S. Maria
Virg. Limanæ, ac princip.
Patron. totius Americæ.
Duplex j. cl. cum Octava.

Omnia ut in Brev. Rom. sub hac die, præter Lect. j. Noct. De virginibus. omissis ix. Lectione et Commem. SS. MM. Felicis et Adacti; cujus loco dicitur Lectio ix. de Communi.

DOMIN. POST OCT.
ASSUMPT. B. M. V.
Purissimi Cordis
B. M. V.

Duplex majus.
Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem Dominica.

